



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis
Disciplinis & religione Christiana**

Regino <Prumiensis>

Parisiis, 1671

280. De eadem re.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14622

DE ECCLES. DISCIPLINIS. 317
mites nostri cunctis ex nostro banno prohibe-
re firmiter studeant ut cognoscant omnes
quod si tale aliquid facere præsumperit, se-
cundum divinas sententias episcopalem exci-
piet sententiam, & secundum leges & capitula
la regia emendare cogatur, & secundum ju-
dicium fidelium nostrorum condignam vindi-
cam excipiet.

De eadem re. *Ex eodem.*

CCLXXXIX. Quod si, quod absit, ta- Ibid. c. 7.
lis emerserit qui Dei timorem postponat, &
ecclesiasticam auctoritatem contemnat, & re-
giam potestatem refugiat, sciat, quicunque
ille fuerit, quia & secundum canonicam au-
toritatem ab omnium Christianorum cœtu
& à sanctæ Ecclesiæ consortio in cœlo & in
terra alienus efficietur, & regali potestate at-
que omnium regni fidelium unanimitate, sicut
Dei inimicus, & regni devastator, perseque-
tur usque à regno exterminetur.

Vnde supra.

CCLXXX. Audiant rapaces quid Do- Ibid. c. 10.
minus per Esaiam dicit: *Rapina pauperis in do-*
mo vestra. Et per Apostolum: *Neque rapaces,*
neque homicidae, neque adulteri, regnum Dei
possidebunt. Unde intendant quale quantūm-
que peccatum est rapina, quam cum adulterio
& homicidio sanctus comparavit Apostolus.
Item ipse dicit: *Si quis fornicator, aut adulter,*
aut rapax, aut homicida est, cum hujusmodi nec
cibum sumere Christiano licet ante satisfactio-
nem. Et beatus Johannes Apostolus talem ho-

318 REGINONIS LIB. II.
minem salutare vetat dicens: *Nec ave ei dixi-
ris, neque in domum receperis. Qui enim ave*ti
dicit, communicat operibus ejus malignis.** Au-
diant quid in Toletano Concilio scriptum est:
Require cap. xxxvi.

CCLXXXI. Si quis, *inquiunt*, de po-
tentioribus Clericum aut pauperem expoli-
verit. Require retro ubi de homicidiis conti-
netur.

Audiant raptore*s & prædones rerum eccl-
esiasticarum quid sanctus Anacletus à Petro
Apostolo ordinatus dicat.*

De eadem re. *Anacletus.*

Capitula Ka-
roli Calvi
ibid.
Burchard. lib.
11. c. 18.

CCLXXXII. Qui abstulit, *inquit*, ali-
quid patri, homicidæ particeps est. Pater no-
ster sine dubio Deus est, qui nos creavit. Ma-
ter verò nostra Ecclesia, quæ nos in baptismo
spiritualiter genuit. Ergo qui Christi pecunias
& Ecclesiæ aufert, rapit, aut fraudatur, ho-
micina est, atque ante Deum homicida depu-
tatur. Qui enim res Ecclesiæ abstulerit, faci-
legium facit, & ut sacrilegus judicandus est.

Item Urbanus Papa & Martyr dicit.

Capitula Ka-
roli Calvi
ibid.

CCLXXXIII. Res & facultates eccl-
esiasticæ oblationes appellantur, quia Domino
offeruntur, & vota sunt fidelium ac pretia pec-
catorum atque patrimonia pauperum. Si quis
illa rapuerit, reus est damnationis Anania &
Saphiræ; & oportet hujusmodi tradere Sata-
næ, ut spiritus salvus sit in diem Domini.